

DE LINGUA LATINA ET LINGUA GRAECA

HODIE IN HISPANIA TRADENDIS

Consilia, methodi, leges

Matriti, a. d. III Kal. Apr. ann. MMXVII

Societas Hispanica Studiorum Classicorum (SEEC)

A. d. VIII Kal. Apr. ann. MMXVII Matritum in Sedem *Societatis Hispanicae Studiorum Classicorum* ("Fundación Pastor") haud pauci homines qui linguae Latinae atque Graecae magistrorum munere funguntur et in lyceis et in Vniuersitatibus Studiorum, ea mente conuenerunt, ut de consiliis, methodis et legibus disceptarent ad linguas classicas hodie in Hispania tradendas spectantibus. Consiliis igitur multis sedulo agitatis, ita euulgandum censuere:

1) De causis: Referrī enim decet ad fundamentum et robur linguae Latinae et Graecae defensionis in Hispania, praesertim in lyceis, non ut muneris futuri percipiendi utilitati seruiatur, quin immo ut discipuli medullitus erudiantur. Est quidem Scholae mediū ordinis discipulos sic imbui omnium doctrinarum studiis, ut sibi annis continentibus, uel in Vniuersitate studiorum uel in quibuscumque artibus exercendis, sapienter iudicent uitae cursum. Neque sint linguae classicae minoris aestimandae quam ceterae huius gradus disciplinae: Arithmetica, Geographia, Litterae, Philosophia, Oeconomia... Attamen, quippe quae sint medulla bonarum artium, sunt rationibus studiorum adscribendae, saltem in lyceis necessario offerendae.

Ad Vniuersitates quod adtinet, praeter studia Philologiae Classicae sunt tota dignitate instituendae lingua Latina atque Graeca apud linguarum studia, litterarum rerumque gestarum. Historia enim linguarum atque Europae cultus ciuilibus exquiri sine fundamentis classicis prorsus nequitur.

2) Studiorum Humanitatis momentum ac pondus: Residet in Linguae Latinae et Graecae institutione magna auctoritas propter uires ad iuuentutem humaniter informandam. Quod et in cultu ciuili et in linguis declaratur:

- Ad cultum quod adtinet, harum linguarum firmiores in dies profectus nos quam maxime coniungunt cum Antiquitate, quae fundamentum cultus est nostri in arte, in philosophia, in litteris, in Republica administranda, cet. Talis uis et fundamenta regiones colligant omnes et populos totius orbis terrarum.

- Ad linguas quod adinet, linguae Graecae et Latinae studium facultatibus discipulorum in linguis maxime fauet propterea quod linguam uernaculam perdiscant, prasertim si de lingua Hispanica, Catalaunica uel Gallaeca agatur; huc adde magno id esse emolumento linguis aliis discendis, Europaeis praecipue, nam magnam reserat copiam uocabulorum et grammaticae; atque uiam monstrat dilucidam ad uocabula scientifica et technica, radicibus Latinis atque Graecis uenis et medullis conferta; ceterum auxilio uenit discipulis in grammatica perscrutatione, ratione atque usu, quod bene et in exprimendo et in intellegendo uerruncabit.

3) Consilia ultima linguarum classicarum institutionis: omnibus in gradibus institutionis discipuli sunt notitia linguae *actiua* et *passiua* adeo erudiendi ut locos pro peritia aptatos ualeant intellegere itemque interiora adire Antiquitatis.

4) De methodis: Nuperrimis temporibus in Hispania haud pauci magistri linguarum classicarum summa ope nituntur ut efficaciores rationes didascalicae explorentur, e quorum maximo studio atque usu colligi potest duas esse methodos porro adhibendas:

- a) Plurimum sunt illae methodi adhibendae quibus freti discipuli facultates adipiscantur ut linguam calleant utramque et Antiquitatem animo menteque comprehendant. Quibus facultatibus adipiscendis haud aliae uigere debent rationes quam apud ceteras linguas quae nunc temporis per totum orbem terrarum diuulgantur, id est, facultates et *passiuas* et *actiuas* experiri oportet: loqui, audire, scribere atque legere. Manifestis indiciis, adhibendae sunt docendi rationes quae usui linguae primas tribuunt partes, eo animo quo multo celerius assequantur discipuli quas diximus facultates.
- b) Alia uero ex parte usurpandae sunt rationes quae animos discipulorum uehementius inflamare uideantur eosque exhortentur, ut linguam penitus discant uitasque moresque Antiquitatis peruestigare cupiant. Vias denique reserare et explorare opus est, quibus tritis discipuli magis magisque alliciantur in studium.

5) De magistris informandis: Rationum renouatio iter est necessarium omnium institutionum, nec umquam breui spatio, immo gradatim euenit. Qua de causa, conuenit linguae Latinae Graecaeque magistros certiores facere de *actiuis*, quae dicuntur, methodis eorumque fructibus. Item fouenda est et augenda harum

methodorum notitia inter magistros qui uelint in scholis his rationibus uti. Postremo omnibus persuasum esse debet methodos “uiuas” linguae Latinae et Graecae, quae in Hispania traduntur, eo prosperitatum perductas esse, ut medulla atque fundamentum totius renouationis didascalicae harum linguarum facta sit.

6) De legibus: sic ut supra diximus, leges quibus lingua Latina et lingua Graeca in lyceis statuuntur, oportet nouis rationibus per usum docendi et discendi accomodari. Ex quo existit ut non solum *studiorum ratio* sit commutanda, uerum etiam probationes, quibus discipuli aestimentur. Cum autem rationes docendi, ut saepe fit, gradatim adhibeantur, prouidendum est aliquamdiu uarias simul usurpandas et rationes et probationes (ut puta, pericula discipulis periclitandis, ut in Vniuersitates accipiantur). Quae cum ita sint, causae nihil est quin linguarum classicarum methodi, quae usum magni ducunt, lege communi sanciantur.

Denique rationes nouae magnam nobis afferunt spem animosque concitant nostros, nam, ut e fructibus colligi potest, citius discipuli atque firmiter finem ultimum adipiscuntur, id est, utramque linguam aliquatenus callere. Harum quidem notitia multo melius institui informari erudiri possunt ad Antiquitatem intellegendam, quae fundamenta iecit cultus nostri atque linguarum et in Hispania et multis aliis in regionibus ad Occidentem spectantibus.

Latine reddidit ex Hispanico sermone *Collegium Latinitatis* (Valentiae)

<http://www.collegiumlatinitatis.com>